

484a

# S. CAECILII CYPRIANI CARTHAGINENSIS.

## DE ORATIONE DOMINICA. \*

### ARGUMENTUM LIBRI.

«A commendatione divinorum praeceptorum exordio sumpto, nullam Deo gratiorem orationem efferri posse docet, quam cujus formam praescripserit ipse Christus Dei filius. Deinde ubi qualiter orandum sit paucis explicuit, et docuit, Orationem Dominicam tum publicam esse non privatam, tum totius coelestis doctrinae compendium quoddam; in singulas ejus petitiones (imitatus librum Tertulliani de oratione) elegantissime commentatur per aliquot paginas. Post haec ad vigilantiam in precibus monet. Ideo enim (inquit) sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda: ut dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Postremo, ne infructuosa sit oratio, eleemosynas ut conjungant, utque non horis dumtaxat ab Ecclesia statutis, sed semper orent, semper gratiam agant, hortatur».

Evangelica praecepta, fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quam magisteria divina, fundamenta aedificandae spei, firmamenta corroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis: quae dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad coelestia regna perducunt. Multa et per prophetas servos

\* Ed. Paris, 1643.. p. 253 – 260.